

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Leonhardvs Fvchsivs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

LEONHARDVS FVCHSIVS  
Medicus.



*Artem si medicam spectas, nouus ipse Galenus:  
Si plantas, nouus en exsto Dioscorides.*

M. D. LXVI.

T

LEONHARDVS FVCHSIVS VVEMBDIN-  
gæ, Rhetix oppido, natus anno M.D.I.

Primis literarum rudimentis Heilbrunnæ po-  
sitis: Per omnes honores ascendendo  
Scholasticos:

Bonarum artiū Baculaureus Erphordix salutatus:

Magister Philosophix, Ingolstadij: & aliquot  
annis post Medicinæ Doctor appellatus:

Quam & publicè aliquandiu professus est ea-  
dem in Academia, summâ cum fide &  
diligentiâ:

Post Onolsbachij medicinam facitans, Princ.  
Marchionum Brandeb Archiatus:

Inde Ingolstadtum reuocatus, sed religione ob-  
stante Onolsbachium regressus:

Tubingam denique ad Medicinam publicè  
docendam euocatus:

Quam ipse & ratione optimâ, & oratione sa-  
pientissimâ, multis annis fideliter & studiosè  
explicauit, magnâ cum admiratione  
omnium, & gratiâ:

Commentarijs præterea innumeris, spectatæ  
eruditionis atque scientiæ, in omni medicinæ  
genere illustrauit plurimum:

Exemplum diligentix & laboris:

Decus & ornamentum Academicæ singulare:

Optimè de præsentibus posterisque meritis:

Summâ cum testificatione constantiæ & fidei  
in religione obiit in Christo feliciter VI. Idus

Maij anno M.D. LXVI. Aet LXV.

IN LEONHARDVM FVCHSIVM  
Medicum.

IOAN. LAVTERBACHII.

Securus ambulat sequens viæ ducem.  
Quale Dioscorides medicâ præclarus in arte  
Herbarum nomen cognitione tulit:  
Tale suâ meruit, maius quoque, Fuchsius arte,  
Herbarum nulli cognitione minor.  
Herbarum proprijs naturam viribus ille  
Vt tantum nudè prodidit absque typis:  
Sic tribus hic omnes veris iconibus herbas  
Exprimit ingenio dexteriore tomis.  
Arte Dioscorides quod Graijs, Fuchsius istud  
Non modo Germanis, omnibus orbe locis.  
Ne sit opus terras vitæ penetrare periclo:  
Ne iuga, vel valles, vel nemorosa loca:  
Absque labore tomis herbas cognosce, fouere  
Augustas medicæ qui cupis artis opes:  
Dux bonus herbarum species, viresq; ministrat.  
Haud errat, graue qui cum duce tentat iter.

IANI BARTHOLOMAEI.

Tu licet ingenio sis clarus & arte medendi:  
Par tamen est meritis gloria nulla tuis.

MARTINI CRVSI.

Φύσιος ὁ κλεινὸς θάναε, τὸ κλέος ἰν τήρω  
Φύσιος, ὃς βοταγῶν πλῆθος ἐδέξε τοσόρ. T ij

Φύσιος, ἢ βιβλοὶ γνῶς' ἀντολίη τε δύσεΐε,  
 Φύσιος, ὃς λαμπρὰν πᾶσι Τύβη γὰρ ἔβη.  
 ἡμῶν μὲν λίην ὀδυνηρῶς, Φύσιε κλεινέ,  
 ἐπινευσας, σαυτῷ ἀσασίως διέπᾶν.  
 Φῆδε γὰρ, ἀλλήεν γλίχεται χριστῷ τε σωεῖναι,  
 ὡς ἐπὶ γῆς εἰμὶ χησίμος ἢ δὲν ἔτι.  
 γενναίως τάδε ἔφηδε, ἢ δὲ ἄλλα, λατινίδι φωνῇ,  
 ὡσπερ ἄν ἕνι νοσῶν, ὡς με θαυμάσ' ἄγαρ.  
 ὡς ἦν ἀργάλεον Σιμεῖονα σε κῆριος οὕτως  
 ἦν ἐς ἀθάνατον Διῶ' ἀπέλυσε χαράν.

LEONHARDI ENGELHARTI.

Fuchsius occubuit, medicorum gloria rara:

Fuchsius herbarum nomina multa notans:

Fuchsius ex scriptis toti notissimus orbi:

Fuchsius ille tuum, cara Tubinga, decus.

Est ingrata quidem nobis, ὀ in clyte Fuchsi,

Nunc tua mors, aderat qua tibi grata tamen.

Dicebas quia: Dissolui, Christum ἄ, videre

Gestio: nunc terra commoda nulla fero.

Dicebas animo sorti hac, & plura Latine,

Ceu non aegrotus: res ea mira fuit.

Te Deus ergo bonum seruum, veluti Simeonem,

Dimissum iussit regna subire poli.